

*Bethlen - Hecce Ordo 7. Locus 2.*

PEPLUM HEROUM,

Cui

HEROEM SUMMUM,

ILLUSTRISSIMUM ATQUE EXCELLENTISSIMUM  
DOMINUM, DOMINUM

STEPHANUM,

LIBERUM BARONEM

VESSELENYI

DE H A D A D:

Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majesta-  
tis Intimum Status, & in Regio Transilvania Gubernio Actua-  
lem Consiliarium; ejusdem Transil. Statuum ac Ordinum,  
itemque Regiæ Tabulæ Judiciariæ in persona Suae Majesta-  
tis Sacratissimæ, Præsidentem; Incluti Comitatus Szolnok  
Mediocris Comitem Supremum; Ecclesiarū in Transil. Reform.  
mat. ut& Collegiorum ac Scholarum Curatorem Supremum;  
Protestantium grande Columnen, & Decus ingens:

cum in Palatio Claudiopolitano

HEROS MAGNUS exili Sepulcro conderetur:

jure meritoque inferuit

FRANCISCUS T. TSEPREGI,

VI. Nonas Majas,

in maxima Procerum ac Civium frequentia

HEROIS TANTI FATA TRISTIA DOLENTIBVS SEPTEMCASTRIS,  
SIRENIBVS VERO LVGENTIBVS.






Aristophanes in Equitibus.

Εὐλογῆσαι βελόμεθα τὰς Πατέρας ἡμῶν, ὅτι  
Ἄνδρες ἦσαν τῆς δὲ Γῆς Αἰῖοι, καὶ τὸ ΠΕΠΛΟΤ.

*Celebrare volumus Majores nostros, quoniam  
Viri erant & hac Terra DIGNI, & PEPLLO.*

Seneca Epist. XLII.

*Vir Bonus, alter fortasse tanquam Phæ-  
nix, semel Anno quingentesimo nascitur.  
Nec mirum, ex intervallo magna ge-  
nerari. Mediocria & in turbam nas-  
centia sæpe Natura producit: eximia  
vero ipsa raritate commendat.*




## ORATIO FUNEBRIS.

COMITES ILLUSTRISSIMI, BARONES  
MAGNIFICI,  
SPECTABILES AC GENEROSI DOMINI,  
VENERANDI SACRORUM PRÆSIDES,  
UNIVERSA DENIQUE AUDITORUM PANEGYRIS.

**M**onimenta Græcorum percelebrant  
PEPLUM MINERVÆ a lectissimis Virginibus  
arte singulari contextum, longeque ornatissimum,  
ac auro multo superbum. Palla erat, vestis  
Mulierum propria, & candida; in qua MINERVÆ ipsius,  
itemque HEROUM Illustrium effigies & facinora clarissima  
subtili manu intexebantur: unde HEROES factis egregiis  
Illustres sollemni hoc elogio Græcorum ornabantur: Αἰῖοι  
πέπλο, Digni, qui in MINERVÆ PEPLLO ac pingantur.  
Ille ipse Lycei Magnus inambulator Aristoteles, sevocans  
animum a Philosophia severiore ad Musas amœniores, Epi-  
grammata, queis Trojanos Græcosque HEROAS laudave-  
rat, πέπλο inscripsit. Illud autem MINERVÆ PEPLUM  
quinto quoque Anno, in Festo Atheniensium frequentissimo,  
Panathenæis nempe Majoribus, in maxima Populi Plebisque  
celebritate circumferri solebat, & obambulatione sollemni ge-  
stari; quo Græci omnes ad egregium hoc exemplum, & in-  
star perfectum, oculos vertentes, colorem inde ducerent,  
ac insimul ardore sacro inflammati, calorato cum impetu  
grassarentur ad nobilem illam Palmam, & magnitudinis HE-  
ROICÆ mensuram omnino implendam.






*Felix illa Dies, felix & dicitur Annus:*

*Felices, qui talem Annum videre, Diemque.*

Hæc ubi cogitata mente mecum recolo, fert animus in præsentī, ad feralem hanc Urnam HEROIS Maximi, ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI DOMINI, D. STEPHANI LIBERI BARONIS VESSELÉNYI DE HADAD, Cujus Manibus Justa Novissima perficere debeo, PEPLUM HEROUM concinnare, atque illud sella curuli Sermonis Parentalis sublime Theatro Vestro spectandum proponere, ac demum illi, addicentibus auspiciis, æternum Summi Nostri HEROIS Nomen inferere. Quare agite, AUDITORES MOESTISSIMI, PEPLUM hoc HEROUM, & illi inferendum Sanctissimum Nostrium HEROEM, adtente ac tacita cum admiratione juxta mecum contemplemini.

Veteres quidem Memoriam HEROAS suos in tantum celebrant, ut eos quadam quasi exaggeratione quam altissima in eminentiam evehant eximiam, & quæ communem Hominum sortem longis supercandat parasangis: immo HEROIBUS quandam adscribentes Divinitatem, eos fabulentur *Semideos*, & crasso, immani, atque impio errore natales eorum, cum Platone arcessant *ex Deorum erga mortales Mulieres, aut Mortalium erga Deos amoribus*. Ideo & HEROICAM Virtutem, ut auctor est Aristoteles, eximie adpellarunt excellentem illam, & plusquam Humanam, ac quosdam Divinitatis radios ex se evibrantem. Atque in hunc censum HEROUM retulere Veteres Herculem & Orpheum, Castorem ac Pollucem, Jasonem ac Theseum, Hectorem & Achillem, alia Maxima Nomina; quæ memori Famæ archivo inscripta honos æternus Fastorum veneratur, & redeuntia in orbem Secula clangente grandiant buccina.


HEROICAS autem Virtutes, sororio nexu inter se conjun-



junctas, quæ comitatiores & exornatissimi hi temporum Phœnices, hæc Seculorum Ornamenta, & demiranda Prodigia, Orbis universi theatro spectabantur, haud in promptu est, numerato censu omnes referre in album. Corpus quidem ipsis Charitum manibus de meliore luto fictum, & filo pulcriore detornatum, Oris celsi majestas, Oculi recti ac ignei, gratia Vultus renidens, Frontis ingenua liberalitate diffusa serenitas, Incessus denique magnificus ac decentior, Animique bene compositi tranquilliora spirans halcedonia, Depositum per sane quam ingens & pretiosum, HEROEMque domi suæ hospitantem longe lateque ostentarunt, & disertī fuere præcones indolis masculæ, ac ad Egregium Publicum rite sustinendum belle geniatæ.

Et vero Animus HEROIBUS inerat altus & magnificentissimus: ab omni sorde Vulgi, ac fece Populi, longe longèque secretus; opibus dives domesticis ac contentus, cum generosa contemtionē felicitatis bracteata, ac despicientia rerum solstitialium; quæ vanitas Mortalium pretium fecit, & ad quas cæca Hominum viliorum obstupescit cupiditas. Fortis ad hæc illis Animus, par prosperis, major adversis, & omnia Fortunæ fulmina contemnens. Pectus candidum & germanum, semperque sui simile, ac sub persona viventium odio flagrans capitali & Vatiniano.

Virtutes vero Sociales, quæ HEROES hi in Re censebantur Publica, longe conspectius in illis emituere. *Ut Orbis quiesceret, nunquam illos quievisse; ut publica secure tranquillitas staret, nunquam illos stecisse*: ex quo enim se Orbi Terrarum dedicarunt, sibi eripere; ac instar Siderum, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illis licuit, nec subsistere, nec quidquam suum facere. Illorum in Toga Symbolum erat illud Severi Augusti: LABOREMUS; in



Sago autem illud Pertinacis: MILITEMUS; Domi enim Consules, Militiæ Imperatores, Patriæ Vitam impendebant, pro Salute Communi noctes diesque in veste sudata excubantes: ut adeo jure summo dicere liceat, solis his HEROIBUS, æque atque Livio Druso, *ne pueris quidem unquam serius contigisse*: jure item HEROES hi, privatos etiam intra Lares, remoti ab omni strepitu & consortione Vulgi, cum Scipione dicere queant: *Nunquam se minus otiosos fuisse, quam cum otiosi; nec minus solos, quam cum soli essent.*

Atque Vitam laboribus tantis exercitam HEROES hi stantes claufere, æque ut Vespasianus Imperator, Naturæ debitum extremum persoluturus, confurgens, dicebat: *Imperatorem stantem mori oportere.* Ille enim mihi Nauclerus fane quam turpis, cui, conjecta in noctem navi, gubernacula fluctus eripuit; quemve superintonans Cælum sic adtonuit, ut animo externato puppi excussus, fluctuantia vela deferat, Rectorque adeo ille ipse depræliantibus æquore ventis, & procellis cuncta diffulminantibus, navigium permittat: contra vero vel in naufragio laudandus is, quem obruit Mare stantem in celsa puppi, decimoque volumine Pontus submersit impavidum, & animo infracto clavum usque tenentem. Hæc demum HEROICA verissime censebitur Fortitudo, & augustum ingentemque HEROIS Animum, ac cæleste & divinum Pectus liquidissime adfirmabit. Quid enim HEROE illo excellius? quid divinius?

*Hoc ingens meritum est, hæc ultima Palma Tropæi:*

*Ardua nec Virtus altius ire potest.*

Vixit HEROS meus adversis rerum immerfabilis undis, jamque adeo Maris vasti domitor, victorque Orbis, & Seculi contemtor, ad extremas Vitæ incitas detrusus, & ad ultimam illam Humanitatis Scyllamque Charybdimque efferventioris


Pela-



Pelagi fluctibus violentis adpulsus, perstat celfo animo, erecto vultu, mente interrita leti: videt scopulos fatales, metas cælitus depactas, æstumque, quidquid mortale est & obnoxium, voragine rapaci absorbentem: atque adeo Necessitati Supremæ jam pridem cedere doctus, etiam Vitæ ipsius naufragium facit animo æquo & minime naufrago: sedulo secum expendens, & apud animum diligenter recogitans, *in hoc, ut ait Ille, tam procelloso & in omnes tempestates exposito Mari navigantibus nullum portum, nisi Mortis, esse.* Novissima hæc HEROI meo diu considerata sunt, & multo ante meditata: jam nascens mori cepit, & omnis ejus Vita erat longum quoddam atque perpetuum iter ad Mortem: nunc demum ad illam pervenit, sed diu venit: vixitque adeo Peripateticus Morti, & Pythagoræus Mundo. Tota Vita, ac in extremam usque ætatem Vivere didicit, ut Mori sciret: fuitque adeo Professor Euzoiæ, & promisit Artem bene Vivendi, ut esset Discipulus Euthanasias, longisque rudimentis meditaretur, & plene ac plane prædisceret Artem bene moriendi.

Satis jam, satis, spectati sunt HEROES mei; & æquum est, ut curriculo Militiæ Secularis decurso; sudoribus plusquam Herculeis pro communi commodo exantlatis; infido semper & alternis æstibus reciproco Vitæ Terrestris æquore secundissima Cynosura pernavigato; assidua Mundi vertigine, rota Fortunæ irrequietis orbibus circumacta, & ambiguis rerum Humanarum voluminibus feliciter eluctatis, Summæ Virtutes HEROUM Summis etiam ornentur Honoribus, ac ingentibus eorum & immortalibus in Rem meritis Publicam paria decernantur auctoramenta. Populi quidem antiquiores, qui HEROAS jam in his Terris *Semideos* vocitabant, & tanquam Cælo delapsa Sidera devenerabantur, nulli dubi-





dubitarunt, eosdem HEROAS Terris ereptos Cælo transcribere, ac liberaliore calculo in numerum referre *Deorum*. Novis etiam tum demum eos & augustissimis decorarunt titulis: ac Græci quidem eximie illos adpellarunt, HEROAS; Romani autem INDIGETES. Honoribus ad hæc illos colebant HEROICIS: Aris, Flaminibus, ac Templis, quæ HEROA egregie dicta; Festis item & Ludis sollemnibus ad memoriam eorum recentandam institutis. Regnis quoque ac Urbibus HEROES nomina dabant; Statuas denique mœruere, ac Columnas in Secula victuras; eo majores, quo majoribus eorum quisque inclaruit facinoribus: unde Cicero Fratris Quinti, staturæ brevioris, clypeatam effigiem, ingentibus lineamentis usque ad pectus de more pictam, cum conspexisset, lepidissime in hæc erupit verba: *Frater meus dimidius major est, quam totus.*

HEROICI autem hi HONORES vehementer demum aucti sunt a Romanis solemni illa Imperatorum Consecratione, a Cæsare Augusto primum instituta. Fatis enim functo Imperatore, Rogus in Foro construebatur, aromate multo differtus, & auro plurimo, omnique ornatu quam splendidissime adparatus; quatuor tabernaculis, forma quadrata, in turris speciem altius adsurgens. Cerea imago, Imperatoris vita functi simillima, in secundo tabernaculo jacebat; in summo item fastigio currus stabat undique auro fulgētissimo collucens, quo ipse Imperator vectari solebat. Sollemnibus longe plurimis illic rite peractis, Successor Imperatoris, qui jam jamque Purpura fulgeret, ac rerum potiretur, primus face ardente adnota, sequentibus Magistratibus cæteris, feralem machinam succendit. Vulcano immisso, Jovis ales, Aquila, insimul de tabernaculo supremo emittebatur; quæ Animam Principis in Cælestes Sedes subvehere crederetur. Ubi vero Augustæ




gustæ consecrabantur, Pavo Junonis, Muliebris Numinis avis, munus hoc supremum fungi debuit.

At omnibus omnino Honoribus HEROICIS infinito antistat intervallo facer ille & magnus Vatum labor, HEROO carmine, HEROICIS versibus, HEROO pede incedens, & grandioris Cothurni sublimitate celsam HEROUM exæquans magnificentiam: Ilias & Odysea Homeri, Aeneis Maronis, Thebais & Achilleis Statii, Apollonii Rhodii & Valerii Flacci Argonautica; fastusque Hannibalis & leves Poenos ore premens ingenti Silius, alia Capita laureata, & pectora Apolline foeta plurimo; quorum æternum Carmen HEROAS Fato ereptos, ac in Arce locatos eminentissima, senescentibus etiam Seculis semper viridi ac florente Honoris Laudisque vegetat juvenia, & Fama perpetuat intermina, finemque pati nesciente.

Atque hoc est illud MINERVÆ ac HEROUM PEPLUM, cui Fama anus notis æternis intexuit Virorum Illustrium nomina & facinora, ac in utraque Domo Solis præconio celebrat nobilissimo, & in omne ævum perdurante. Huic ego PEPLO HEROUM ILLUSTRISIMUM ATQUE EXCELLENTISSIMUM DOMINUM, D. STEPHANUM, L. B. VESSELÉNYI DE HADAD meritissimo Ejus hodie infero; summas enim Virtutes Ejus, & omnibus vel Demosthenis lecythis, vel Ciceronis ampullis excellentiores, nec ullo Isocratis myrothecio, pigmentisque Aristotelicis digne percolendas justequè perornandas, qui æqua lance perlibraverit, juxta mecum facile agnosceret, Eum Principibus accensendum esse HEROIBUS, ac PLUSQUAM HEROEM, dignumque adeo, Cujus Nomen & Virtutes eant in Secula, & custodibus rerum gestarum Fastis perpetuentur.


Majores quidem Illius Domi Forisque longe Illustrissimi,



Bohemorum etiam ac Polonorum Publicis frequentantur Tabulis, eximie Annalibus Hungariæ Libris dilaudantur, & utramque in illis paginam complent; per enim vetus & sane quam splendidissima Familia VESSELÉNYIANA, longa Imaginum proavitarum, multisque Stemmaturum flexuris illicata serie pernobilis, HEROES Hungariæ dedit longe plurimos, & Toga & Sago Illustres, ac Palladi Armaturæ juratos: in Senatu quidem ac Curiis Nestores ac Solones, per volentem Populum jura dantes, dictisque animos Civium regentes; Militiæ autem fulminantes Achilles, ac Scipiones implacabile monstrum, Martem, bello fatigantes; Comites ad hæc Supremos, Liberosque Barones, bono omni de Patria meritos; quin & Palatinum, quæ Regiæ proxima est Dignitas, itemque Generales ac Supremos Armis Præfectos; alios Patricios, præcalido ac Generosiore ferventes sanguine, ac tota mente omnique virium contentione ad Summum Decus enitentes: longum certe Vatribus carmen ad canendum, & Faustorum perennium materiam sane ingentem.

Magnis adeo HEROIBUS non minor exstitit HEROS Noster, & Vixit Magnus æque atque Natus est: contentissimo animo, summis studiis, remis velisque, ac prora & puppi totius Vitæ connixus, Generosissimos Suos Majores, ac Gentilitia Decora, & Speciosissima Exempla in tholo Immortalitatis suspensa, per excelsa vestigia grandiore gradu & pede sequi pressiore; immo Domus Nobilissimæ Heres unicus, Phœnicis ad instar Patriis ex Cineribus lætius emicare, altiusque eniti, & Virtute subvehente in æthera evolare; quo Fortem Fortibus, HEROEM HEROIBUS, & Magnum STEPHANUM Majoribus majorem, certe parem, editum, Orbis Theatrum spectaret, Vox prædicaret Publica, concordissimi Bonorum omnium calculi adfirmarent.


Illud




Illud Gratiarum Templum, illud boni Genii geniatum longeque venustissimum Hospitium: Frons honora & decorissima; par Oculorum lucidum & vigoratum, in summa hac arce excubans; Vultus serenior & plane halcyonius; Os gratiam spirans mirificam, & Venerem plenissimam svavitatis; Incessus magnificentior & decentissime compositus; totumque adeo Corpus statura justa graphice adfurgens, æque venerabile, æque amabile; ac omnia Membra, simul Majestatem, simul Comitatem arguentia, liquide testabantur, HEROICUM in venis Ejus fluere Sangvinem, Domumque adeo magnificam Domino honestari magnificentiore, ac Aedes tantas majore impleri Hospite.

HEROEM palam significabat illa Excelitas Animi, supra omne vile ac vanum quam altissime evecta; quæ tamen ut altius crescere & eniti posset, se adeo submittere solebat, ut princeps HEROS unus Civium, & communis infimis videretur: sic a Minoribus amatus, ut simul a Principibus diligeretur; per enim miro consensu concentuque nec Comitatus communissima imminuebat Gravitatem HEROICAM, & Humilitas demissior altiore Ejus augebat Majestatem. Fortitudo plusquam HEROICA relucebat in placida illa Tranquillitate Animi, quæ illa Constantia, & Moderatione saluberrima; cujus nutu & numine temperatior HEROS Noster, cum Principe eruditionis, Seneca, nihil magnum censuit, nisi quod simul & placidum: atque adeo sui potens, sibi moderari novit, ac mente compositissima consistere: cavit & providentissime, ne igneus Animus repentino calore temere effervescens, ac tumoribus æstuans intempestivis, ex ordine abeat: cane pejus & angve perosus Homines Animi impotentes, & sibi ipsis obnoxios; quos immane præceps, futilis levitas, effrenatior impetus & ardor, vexant, raptant,






huc & illuc distrahunt, ferturque adeo equis auriga, nec audit currus habenas. Secum certe moratus est, & apud Se fuit omni tempore; Vultum præ Se ferens Socraticum, semperque Sui similem, sive domo exiret, sive rediret: quanquam mille malorum Iliade Res concuteretur Publica: Rebus enim angustis animosus atque fortis adparuit, sapienter Idem contraxit Vento nimium secundo turgida vela. Pulcherrime cognitum habuit, Virtutem, ut ait Poëta Comicus, omnia in se habere, & omnia adesse Bona, quem penes est Virtus. In editissima igitur hac & ab omni parte beata Arce stabat sublimior ac fortunatus nimium; sua enim Bona noverat: miseratus miserrimam, & erroribus incertis longe semper evagantem multorum Ambitionem; quæ, liceat Comici & Senecæ ore loqui, cupida cupiens cupienter cupit ebore sustineri, purpura vestiri, auro tegi, Terras transferre, Maria concludere, flumina præcipitare, nemora suspendere; si fieri potest, uno nomine occupare Fastos, per omnem Orbem titulos disponere. Isocratis, clarissimi Græciæ Oratoris, Sepulcrum, olim SIRENIS imagine, tanquam perfectæ ac efficacissimæ Eloquentiæ symbolo fuit ornatum. In Exsequiali hac Thensa re nunc vera SIRENEM ego video jacentem; ut enim Arma etiam Gentilitia innuunt, HEROI Nostro, Ejusque sermonibus suavitas inerat plane SIRENEA: ut adeo quosvis paullo humaniores blandissime adlice faceret, ac arcana quadam vi & dulcedine mirifica demulceret SIREN VESSELÉNYIA. Ac si elogio publico eruditæ Antiquitatis SIREN Socratis laudari, Cato item Grammaticus Latina SIREN dici, meruere; SIREN etiam VESSELÉNYIA, dulci sono pertentatum mulcens aëra, & quadam quasi Venere Verticordia se in audientes penitus insinuans, eosque flexanima, atque omnium Regina rerum, Oratione  
non



non modo inclinantes erigens, aut stantes inclinans, sed & adversantes ac repugnantes capiens & pervincens, Nostro ac Surgente Aevo jure optimo celebrabitur: atque adeo Svada blandior, & Eloquentia potentior stylo novo recte vocabitur SIREN VESSELÉNYIA.

Quantus autem in Re fuerit Publica HEROS Noster Dacia perorat universa. Senatus quidem Daciæ Supremus salutaria Principis Senatoris celebrat Consilia; Tres Patriæ Nationes PRÆSIDENTEM suū magnis laudibus in æthera tollunt; Inclutus Comitatus Szolnok Mediocris vigilem SUPREMI COMITIS curam grata mente recolit. Tot tantasque personas humerosior hic Atlas sustinuit, & sudores Ejus adeo multiplex hausit arena; Istamen Muneris tam varii partes ac numeros omnes dextertate tanta implevit, ut nunquam pateretur in se desiderari Laborem in negotio, Industriam in agendo, Consilium in providendo, Celeritatem in conficiendo. Labor ipse HEROE Hoc laboriosior haud esse posset; non Consilium Consiliario Tanto consultius; non Prudentia Politico Nostro prudentior; non ipsa Ratio Status Tanto Statista studiosior Salutis Publicæ; nec archetypa Virtus pulcrior & absolutior ectypa hac Gemma. Hic Phoenix Seculi: Hic HEROS Unicus: Hunc Dacia jure maximo Gentium aliarum opponit HEROIBUS. Par certe fuit Rebus Summis Militiæ Domique gerendis, talisq; adeo, Cui favor publicus Præfecturam seu Sagatam, sive Togatam voto communi desponsatam & destinatam addiceret. In summis quidem periculis Dictator legi poterat, ac tempestate Belli imminente Campidoctor, primum item ducere pilum, ac post emeritam Militiam Perfectissimatus vel Egregiatus sperare Titulos: Pace autem dignissimus erat, qui præeundo, judicando, consulendo, Prætor, Judex, Consul, Dicafterii




Antecessor, Parlamenti Præses, iusto ac pleno audiat titulo, ac ad Rei clavum Publicæ Gubernator sedeat.

Jam tacebit Orator: CÆSARES loquentur. Magnus LEOPOLDUS Eum Incluti Comitatus Szolnok Mediocris Comitem Supremum dixit. Augustissimus JOSEPHUS, post decessum HEROIS Immortalis, GEORGII, COMITIS BÁNFFI de LOSONTZ, Transilvaniæ Gubernatoris Sede vacante, Numine Suo HEROEM Nostrium Regiæ Deputationis Præsidentem creavit; quam eminentiorem Dignitatem HEROS Noster humero celsiore succollatam tribus Annis digne ac decore sustinuit, & Fastigii tanti amplitudinem pari Majestate implevit. Ingens Ejus meritum alia etiam & illustria Cæsareæ Gratiæ debet auctoramenta; OPTIMUS enim CAROLUS Clementissimo Eum & Prudentissimo calculo Suum in Regio Transilvaniæ Gubernio Consiliarium Intimum, ut & Transilvaniæ Statuum ac Ordinum, itemque Tabulæ Regiæ Judiciariæ, Præsidentem renunciavit, ac novissime Sanctiori Suo Status Consilio adscripsit.

Si Vetustas Mortalium omnium Sapientissimum censuit Socratem, quem hoc ornaverant elogio personati Apollinis Oraculum; STEPHANUS Noster longe ac longe majori jure HEROS habebitur Summus; Quem Trium Principum & Cæsarum Augustissimorum, Magni LEOPOLDI, Non Minoris JOSEPHI, & Maximi CAROLI Oracula, extra omnem aleam positum, HEROIBUS Summis adscripsere, ac ingentibus & HEROICIS auxerunt Honoribus.

Atque illis ornatissimus HEROS Noster, magnam Sibi propositam vidit gloriam Obsequii, pulcreque sensit, Fidem Numini ac Majestati Cæsarum dicatissimam, tantisque oppigneratam nominibus, vadimonio esse liberandam. Et vero partem Vitæ meliorem, Annos quadraginta, & quod

ex-




excurrit, in Ministerio fideli, in Laboribus perpetuis, in ipsa luce Regni, ac in quadam quasi Vigilia & Specula Publica consumsit. Erat Sceptri Oculus, qui Præteritum, Præsens, ac Futurum acri & solertiore visu perlustrabat, & omni acie ingenii contemplabatur. Rota fuit Horologii, arcano & perpete cum Cæteris motu adcurans et efficiens, ut Index Orbem Horarum integrum decircinet, ac definita dimensi Temporis Spatia recte describat, ac indicet. Duas intra Oleas, Cultum Principis & Amorem Patriæ, Stadium omne decucurrit, solcite adeo atque circumspecte, uti ab altera utra parte ungvem transversum religioni haberet discedere; Majestatem enim deveneratus Cæsaream, remigio toto Salutis Patriæ velificatus est; & Patriam caritate complexus tenerrima, Cæsaream devotissime coluit Majestatem. Atque ut HEROS Homericus, Ulysses, adæque Noster etiam, semper comite Prudentia, quam Homerus Poëtico ritu Minervam nuncupavit, res quamvis arduas & maximas plenus animi adgressus est, & ex sententia gessit: ac omnibus ingentior adversis, vada cæca & freta Seculi, Acroce-  
raunia saxa, itemque Sireneos scopulos, tot & tantis, infames naufragiis, prætervecta, in portum salva nave pervenit  
SIRENUM MUNDI VICTRIX VESELÉNYIA SIREN.

Gratia Cæsarea florentissimus HEROS Noster cum Principibus etiam HEROIBUS Amicitiam coluit immortalem. Terrorem illum Orientis, Amorem Occidentis, plurimarum palmarum Principem, EUGENIUM, admiratus est semper, ac nupero in Bello Temesæo nomine Transilvaniæ publico veneratus. Reverebatur Excellentissima & Sago ac Toga Ingentia Nomina, KINIGSEGGIANUM & VAL-  
LISIANUM; ab iisdem in Amicis habitus intimis. Silentio HEROAS alios, Domi Forisque longe principes prætereo;

ple-






plenum enim eorum texere catalogum labor foret longus nimis & immensus. Hoc unum meminisse juvat. Nondum ex ephebis excefferat Noster, natus Annos XVIII. cum Achilli Germaniæ, LUDOVICO BADENSI, Varadinum Odrysæ Lunæ eripienti, Martiam suam, & ad omne decus jam florentiore illa ætate lætius enitentem, adprobavit Virtutem.

Inde Transilvaniæ HEROI Maximo, ac Gubernatori Excellentissimo, D. D. GEORGIO, COMITI BANFFI DE LOSONTZ, novo se titulo & fortiore obstrinxit destina; Tanto enim Socero dignus Gener, Filiam Ejus Svavissimam, Excellentissimam D. D. COMITISSAM, CATHARINAM, in Vitæ ac Tori castissimi Consortem delegit, Hymenæo sane auspiciatissimo; SIRENI enim GRYPs, HEROI in manum convenit HEROIS, & SPONSO in dies altius adsurgenti SPONSA ornamentum addidit singulare, roburque magnum. Adeo Vitam omnem, qua Publicam, qua Privatam, vixit Excellentissimus Noster permixtus HEROIBUS, & spectabat Illos, semper spectatus ab Illis. Grande Illorum exemplum & lineamenta pulcherrima perfectissime exscribens, ad Altum omne ac Magnificum rectis studiis contendens, meliorem Illorum celsioremque Genium, sanctos recessus Mentis, & incoctum generoso Pectus honesto, ac Chorum Virtutum HEROICARUM omnem in Comitatum suum perpetuum, & Contubernium adoptavit familiarissimum. HEROS vere sui nominis, ac jure summo STEPHANUS vocandus; Qui CORONA Virtutum HEROICARUM redimitus, fuit insimul HEROICI Ordinis CORONA.

Jamque in altam Honorum lucem subvecta VESSELENYIA SIREN, alis BICIPITIS AQUILÆ subnixa, escendere altius connitebatur; cum pulciores Ejus conatus, generosiores natus, sublimiorem ac longe gloriosissimum cursum,

Ne-



Necessitas Ultima necopinato abrūpit: ridentesq; hederas flebili cupresso, felices platanos illætabili taxo funestat; ac Heroem tot Laureis ornatum, tot Statuas meritum palmares, Aō Vitæ HEROICÆ LX. Mense IV. Fato concedentem in brevi hoc loculo componit; cum illuxerat v. Kal. Majas Añi Dionysiani cōlo lcccxxxiv.


Dies hic est Daciæ toti multro funestissimus, & atro calculo signandus. Quis enim, nisi hominem exuat, Funeri Tanto non illacrymetur, ac potius doloris decumani plagis altum ac immane hiantibus non adstupeat? Ille Ipse CÆSAR AUGUSTISSIMUS dolet ereptum Statui Catonem quasi de Cælo missum. Dolet Legatus & Præses Cæsaris, ILLUSTRISSIMUS ATQUE EXCELLENTISSIMUS D. D. FRANCISCUS PAULUS, S. R. I. COMES DE VALLIS fidum & perfamiliarem Achatem amissum. Luget Dacia omnis Patrem Patriæ. Luget Excelsum Gubernium salutare Consiliarium. Principatus Transilvaniæ Status & Ordines congemunt acerbum Præsidentis obitum. Inclutus Comitatus Szolnok Mediocris fata Comitatus Supremi flet, queritur, ingemit. Patricii Daciæ ac Hungariæ HEROEM Tantum terris eripi altissime condolent. Protestantes suarum grande Decus Columnenque rerū, oneris Gerulum, curarum Bajulum; omnium per Transilvaniam Reformatarum Ecclesiarum, & Collegiorum, Scholarumq; Curatorem Supremum, Præsidem item Supremi Consistorii, amarissime complorant. Musæ autem, eximie Claudiæ, ubi duo Benefactoris hujus sunt Beneficarii, suum Herculem, suum Musageren inclamantes, conclamata Tua suprema juxta mecum, acerbissime delamentantur.

O ET PRÆSIDIUM, ET DULCE DECUS MEUM!

Luētui vero & dolori domestico, quæ potest par Oratio inveniri? Conjuge Tanto dejecta Vidua, HEROINA In-


F

tege-



tegerima, & absolutum Feminei decoris exemplum, ILLUSTRISSIMA ET EXCELLENTISSIMA D. D. NATA COMITISSA, CATHARINA BÁNFFI, jacet in mœrore profundissimo, & maximorum luctuum ægritudine: Tedas Jugales in-eunte hoc Seculo accensas, mutuo perfecti Amoris igne ar-dentes, Anno demum XXXIV extinctas, atrata veste, mœ-sto vultu, diffletis oculis, confusa voce, dolore pervigili nec unquam soporando deplangit: & Maritum Dulcissimum, suam animam, suum corculum, suum STEPHANUM diu noctuque ingeminat, & assiduis deplorat singultibus, quid-quid lacrymarum superfluit, Ejus Sepulcro largissime ad-fundens.


Illustrissimus atque Magnus D. D. STEPHANUS, COMES KORNIS DE GÖNTZ-RUSZKA; Sacræ Cæsareæ Regiæq; Catholicæ Majestatis Camerarius, & in Excelso Transilva-niæ Gubernio Consiliarius Intimus, Cognatum Carissimum: Illustrissimus atque Magnus D. D. GEORGIUS, COMES BÁNFFI DE LOSONTZ; Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Camerarius, Incluti Comitatus Dobocensis Co-mes Supremus, Ecclesiæ, itemque Illustris Collegii Reform. Claudiop. Curator Supremus, juxta cum Sororibus Heroinis; Illustrissima atque Excellentissima D. D. NATA COMITISSA, MARIA BÁNFFI; Vidua Dacici Illius Hectoris, Illustrissimi atque Excellentissimi D. D. FRANCISCI, COMITIS GYULAI DE MARUS-NÉMETI; & Illustrissima atque Magnifica D. D. NATA COMITISSA, CLARA BÁNFFI; Illustrissimi atque Ma-gnifici D. D. ADAMI, COMITIS DE BETHLEN; Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Camerarii, Illustris Collegii Reform. Maros-Vásárhelyensis Curatoris Supremi, Confor-te thalami Gratosissima, Adfinem Germanissimum: Juven-tutis Dacicæ principes, par Nobile Fratrum, Illustrissimus atque




atque Magnus D. D. FRANCISCUS, LIBER BARO VESSE-LÉNYI DE HADAD, Magni Parentis non minor Filius; & Illustrissimus atque Magnus D. D. STEPHANUS, LIBER BARO VESSELÉNYI DE HADAD; Qui nunc Militiæ Armatæ nomen dedit, Sacramentum CÆSARI juratum longa fide adfirmaturus; Par item Sororum Nobile, Illustrissima atq; Magnifica D. D. NATA L. BARONISSA MÁRIA VESSELÉNYI, Illustrissimi atque Magnifici D. D. MOSIS, LIBERI BARONIS JOSIKA DE BRANYITSKA Conjux Svavissima; & Illustrissima at-que Magnifica D. D. NATA L. BARONISSA SUSANNA VESSE-LÉNYI, Illustrissimi D. D. ADAMI, S. R. I. COMITIS TELE-KI DE SZEK Conjux Dulcissima, Patrem Optimum, & Dili-gentem & Dilectum tenerrime: Ad hæc Congeneri tantum quod laudati, Illustrissimus D. D. ADAMUS, S. R. I. COMES TELEKI DE SZEK, Illustris Collegii Reformat. Claudiopoli-tani Curator, & Illustrissimus atque Magnus D. D. MO-SES, L. B. JOSIKA DE BRANYITSKA, juxta cum Illustrissima atque Magnifica D. D. L. BARONISSA, SUSANNA RÉDEI, Illustrissimi atque Magnifici D. D. FRANCISCI, L. B. VESSE-LÉNYI DE HADAD, Conjuge Jucundissima, Tantum Socerum: denique Spectabiles ac Generosi D. D. PAULUS & JO-ANNES BÉLDII DE UZON Cognatum Conjunctissimum, dolore lugent ingenti, quem Extremus dumtaxat Dies terminabit.

At ecquid ago, quove feror? cur plagas animi undique convulnerati & defectissimi redulcerato mœrore vehementius exaspero? quid tantum insano juvat indulgere dolori? Xenophon sacrificio sollemni operatus, morte Filii audita, Coro-nam capiti demit; ubi vero cognovit, Filium occubuisse fortissime pugnatem, eandem Coronam capiti reponit; Numina testatus, majorem se ex Virtute Filii voluptatem,





quam ex Morte amaritudinem sentire. Nostrium est, Auditores Mœstissimi, Virtutes DESIDERATI HEROICAS in præsentī ob oculos ponere, & per iucunda potius illarum contemplatione pascere ac erigere mentem, quam fracto animo luctui nihil proficienti nos nequidquam permittere. Acquamvis acerbo Tanti HEROIS interitu & Patriæ & Ecclesiæ vulnus ingens sit inflictum; dolori tamen, æquum est, moderemur; ne sortem magis nostram videamur mœrere, quam pergaudere ac congratulari Felicitati Ejus; qui Terram cum Cælis, Tempus cum Æternitate commutavit; & Vitam accepit immortalem: jamque Deo propior, Spiritu Ejus plenior, lætitiis incedens omnibus, videt, æternumque videbit Cælestes HEROAS, & Ipse videbitur Illis. Memoriae prodidit Antiquitas, in Templo Apollinis aureas SIRENUM imagines fuisse adpensas: VESSELÉNYIA certe SIREN Templo consecrabitur Apollineo, & Carmine Vatum HEROICO sempiternæ Gloriæ commendabitur. Quamdiu suum Litteris erit pretium & honos, quamdiu stabit Latinæ Lingvæ potentia, aut Græcæ regnabit gratia; vigeat Noster cum HEROIBUS Maximis, & illassis Famæ alis in celsa HEROICÆ Laudis Cælo vehetur, ferisque Nepotibus, ac surgenti olim narrabitur Aetati. Coletur HONORIBUS HEROICIS, & durabunt HEROA Ejus, ære quovis ac saxo perenniora; quæ nec cælo tangi, nec ab Herostratis deleri possunt, nec edaci vetustate aboleri ac obliterari. Immo magna illa HEROIS hujus Imago Terris relicta, illud HEROIS perfecti consummatum Instar, illud veri Juris, germanæque Justitiæ, & omnium omnino Virtutum Exemplar absolutissimum, adfixum Rostris stabit in publico, a Populo Plebeque demirandum, a Politicis animo adtentiore contemplandum, a Statistis cordi altius inscribendum, & grata semper recolendum  
men



mente, vitæque omni exprimendum: ac quoties Daciæ Patrio in Decus omne surgenti HEROICAM optabit ominabiturque Magnitudinem, sollempne hoc concipiet Votum: HIC, HIC ALTER ERIT VESELÉNYIUS HEROS.

Magnis autem passibus HEROS Noster cum ad communem Mortalitatis metam contendit, Sacratissimam Tuam, CÆSAR AUGUSTISSIME, lapsis Hominum rebus Cælo Misse, ac ruentis Daciæ Stator Unice, Purpuram de geniculis adorat; ac Austriacæ Gratiæ memor, Fidemque Majestati juratam Cæsareæ, & albis atrisque Daciæ Diebus perpetua & constanti devotione adprobatam, in extremo etiam Vitæ halitu, in hoc Temporis & Æternitatis confinio, testaturus, SIRENES superstites, Domumque pupillam VICTRICIBUS TUIS AQUILIS, Ortum versus & Occasum alas expandentibus, Orbemque omnem implentibus, protegendam supplex commendat, & Votivam hanc ad Pulvinar Tuum cernuus defert consecrat que Tabulam:

Serus in Cælum redeas, diuque  
Lætus ingentem rege Victor Orbem:  
Neve TE nostris vitiis iniquum


Ocyor aura

Tollat. Hic magnos potius Triumphos  
Hic ames dici Pater atque Princeps:  
Neu finas Hostes equitare inultos

TE Duce, CÆSAR.

Celsissimo Principi EUGENIO memorem & gratum Animum Moribunda etiam Voce adprobaturus HEROS Noster, Novissimo Voto felicior Vates addicit Palmas æternas; Excellentissimo S. R. I. Comiti de KINIGSEGG semper virentem Laurum; Præsidi Provinciæ, Excellentissimo S. R. I. Comiti a WALLIS Remque, Prolemque & Decus omne.

Ex-



Excelso GUBERNIO, Tribus Patriæ NATIONIBUS & STATIBUS, atq;  
adeo universæ DACIÆ vovet Aurea Secula, Fortunamque  
Manentem; svadet insimul, ut illud Federati Belgii Symbo-  
lum memori mente conditum servet, semperque ob oculos  
habeat Dacia: Concordia res parvæ crescunt; discordia ma-  
ximæ dilabuntur. Conjugi Bene merentissimæ, quod olim  
suæ Liviæ Octavius Cæsar: CATHARINA, Nostri Conjugii  
memor Vive, ac Vale. Filios Dilectissimos, FRANCIS-  
CUM & STEPHANUM, HEROICÆ Suæ Magnitudinis ex  
asse & libella Heredes Voluntate Ultima instituit; Eos dili-  
genter etiam atque etiam hortatus, ut confutato pervulga-  
tore illo Scommate: HEROUM Filii, noxæ: contrarium  
hoc & rarius Elogium HEROICA Sua Vita testatius adfir-  
ment: Fortes creantur Fortibus & Bonis. Incluto Comita-  
tui Szolnok Mediocris, Agnatis & Cognatis, Generis ac Adfi-  
nibus, Domesticis & Familiaribus, Amicis denique & Benevo-  
lis Lætitiâ Temporum ac Felicitatem Seculi comprecatus;  
jam non umbraticus & imaginarius Præceptor, sed publico  
theatro Spectatissimus, Quive Fabulam Vitæ docuit HEROICÆ  
consumatus Doctor, Censorq; adeo & Judex idoneus, sedulo  
Nobis inculcat omnibus, & animis insinuat penitissimis, ut

*Eum demum Felicem fuisse judicemus,*

*Cui & accipere Lucem prospere, &  
reddere placide contigit.*

D I X I.

